



B. 209.

25  
16

# MEMORIAM SELIGMANNIANAM

A. D. XXIII MARTII

HORA IX. ANTEMERIDIANA

R E C O L E N D A M

I N D I X I T,

A T Q U E

## FAUTORES ET AUDITORES

O B S E R U A N T I S S I M E

I N U I T A U I T

M. Aug. Fridr. Guilielm. Rudolph.

---

Part. XI.

de iuv. ad v. a. mat.

*De laboris patientia.*

---

ZITTAV. LITERIS FRANKIANIS.

oooooooooooo

M A T R O M  
M A T R I U M M A D I S  
S E N I C

**S**ed virtutum haec tenus commemoratarum omnium partim summa est, partim mater, *laboris patientia et studii contentio*, sine qua ad veram liberalemque eruditionem peruenire nemo potest; quam virtutem ita deinceps explicauit, ut et partes eius declararem, et necessitatem demonstrarem.

In iuuene igitur ad altiora studia transituro ea debet esse animi intentio et agitatio, *ut quidquid audiat legatue mente et cogitatione studeat comprehendere.* Sunt, quorum mentem figuræ tantum uel soni vocalium leuiter attingant, quæ, quum inter legendum vel audiendum coeco quasi limite mentem transferint, delectatione nonnulla allata, rursus effluant adeo, *ut ne in præsentia quidem quid audierint legerintve sciant ac dicere possint.* Qui autem ita legunt, non literis student, sed tempus molliter terentes nec doctrinam probabilem consequuntur, nec ad munera doctorum hominum apti redduntur. Quocirca iuuenis ex se ipse querere discat, quid legi? quæ erat vis verborum? quis nexus sententiarum? quæ summa? quæ partes? quæ virtutes, quæ vitia? quid dignum memoria? idque in scholis discat, ubi præceptorum examen hanc facultatem adiuuat, *ut deinde perpetuam academici professoris orationem cogitando sequi possit & adsequi.*

Ista laboris patientia deinde in eo cernitur, *ut quæcumque memoria digna studiosus deprehendit, ea quoque memoria mandet, nec dubitatione ante commendata impediri se patiatur, quo minus hoc in genere elaboret.* Tritum est sermone proverbiū, tantum nos scire, quantum memoria teneamus; idque minime spernendum. Quamquam enim, si ista subtilius

quæ

quærimus, acutiusque verborum vim et usum circumscribimus, non omnia scimus, quæ memoria tenemus; eorum tamen, quæ memoria haud tene-  
mus, scientiam vindicare nobis nullo modo possumus. Quemadmodum enim ea, quæ memoria haud tenemus, non scimus, sed ignoramus; sic eorum, quæ in memoria comprehendimus, haud pauca non scimus, sed opinamur. Vnum est, tenere memoria; debent ad hoc etiam alia accedere, ut scientia fiat; sed illud si desit, quidquid temporarie rationis & persuasionis accelerit, veræ utilisque scientiæ præstantiam haud efficiet et æquabit. Iam vero rem lectam relegere iterum atque iterum; eandem cogitando repetere, ac, si quid deesse aut male perceptum esse senseris, rursus retractare donec menti impressa sit, in facillimis certe in iucundissimis negotiis numerari haud potest. Fert animus ad noua; in curriculo sistere gradum, atque adeo pedem sèpius referre molestum est; maxime tamen necessarium, si quidem necessarium videbitur docto, remouere omnia, quæ et scientia eum priuant, et in errores partim graues partim ridiculos inducunt, quibus ii potissimum sunt obnoxii, qui obscuram quandam & vagam rei cogitationem retinent, rem ipsam omittunt. Itaque hoc studium, quod facit, ut ipse tibi succenseas, si quid memoria tibi elapsum senseris, eo in loco comparandum est, vbi moderator studiorum crebro explorat, quid sedem fixerit in mente, quid effluxerit. Nam quo maior est huius negotiï molestia apud eos, qui ei haud adsuerunt, eo maiora debent admoueri incitamenta; quumque eo difficilius negotiis adsuefiamus, quo magis ætate prouehimur: diligenter curandum est, ut a teneris fere iuuentus huic operæ adsuescat. Male igitur rei scholasticæ consuluerunt, si qui, quum ineptum ediscendi morem fustulissent, omnem quoque ediscendi necessitatem tollerent.

Aliud patientiæ munus est, ut res tota tractetur, et quidquid coe-  
ptum fuerit, ad finem perducatur. Sumitur auctor; una atque altera pa-

gina legitur; occurrit et impedit difficultas; sit saltus in librum medium;  
 delibantur hinc et illinc nonnulla; denique abiicitur liber, aliasque arripitur  
 eodem modo et versandus et abiiciendus. Fert animus ad artem quan-  
 dam et doctrinam; perlustratur ea; passim carpitur aliquid; mox dispi-  
 cet; succedit altera atque altera, quæ æque displicet ac relinquitur. Hoc  
 studiorum genere, in quo tanta potest esse industria, ut dies noctesque libri  
 versentur, prorsus nihil proficitur; facit hoc ad tempus perdendum, non  
 ad animum colendum. Antequam igitur incipias rem paulo maiorem,  
 vtere consilio prudentis; sed rem inceptam, ut ea procedat, nisi gra-  
 uissimæ rationes alio te trahant, ad finem studeas perducere. Ita compo-  
 nas animum, ut consilium captum *hoc agam*, incredibilem habeat vim; ut  
 te pudeat inconstantia temeritatisque. Quod dicitur: dimidium facti, qui  
 bene cepit, habet, ita verum est, si incipiendi prudentiam et alacritatem  
 continuatio studiorum sequatur. Ista autem constantia ac perseverantia in  
 scholis facilius dignitur, quam in liberiore vita academica. Haud nego e-  
 quidem, qui in scholis inconstantia multos vicerit, eum in academia ut æ-  
 tate prouectiorem sic constantiorem fieri posse; difficilior tamen emen-  
 datio mihi videtur. Morbus enim iste, qui quodammodo innatus est homi-  
 nibus, iis vero maxime concomitari solet, qui in solis Chrestomathiarum  
 ambulacris et varietatibus versati sunt, non tollitur cogitatione sola et præ-  
 ceptione, sed exercitationem postulat, eo insuetis molestiorem, quo lon-  
 gius quisque a sanitate abfuit. Videt homo literarum amore flagrans, mul-  
 to labore parum se proficeret, aliam vult inire studiorum rationem; vult,  
 sed natura vitiosa & consuetudo usque recurrit, adeoque efficax est,  
 ut mentem quoque et iudicium et normam corrumpat. Quamquam  
 enim omnino inconstantiam noxiā esse videt, in singulis tamen incon-  
 stantia indicis habet, quo se tueatur et excusat. Scilicet, relin-  
 quo minus utilia et necessaria, ut ad utiliora propioraque transeam; diffi-  
 ciliora haec sunt, quam quæ viribus meis, sint sustineri; faciliora tractan-

do

do istis me parem reddam; consilium cepi constantiae, pertexam telam inceptam; remouebo et relinquam omnia, quæ interpellant me ac distrahunt; ac tali modo iste constantiam affectando in crimen inconstantiae incurrit. Quid multa? Qui suo moderamine constantem se reddere hoc in genere studet, maximis tenetur difficultatibus, vt præceptore opus sit et rectore studiorum, qui proprius hominis mentem moremque inspiciat, rationem studiorum exigat, eum impellat, reuocet, ac suo quidque tempore agere cogat; quæ quidem curiosior inspectio, si e scholis in academias omnino transferatur, quod agere aliqui videntur, verendum est, ne magna academiarum et ea quidem propria utilitas pereat, ac puëris exstant quam iuuenibus aptiores.

Quemadmodum autem res cœpta ad finem perducenda est, sic cauere studioſi debent, ne defunctione eam ad finem perdutant; qua in cautione magna vis patientiae laborisque cernitur. Qui enim docti hominis vim dignitatemque, non tam in multitudine rerum collectarum quam in iudicii grauitate et subtilitate positam, recte tueri vult: is multum debet ac valde molestum suscipere explorandi laborem sine querendi defatigatione. Verum est, non omnium rerum ad eruditionem pertinentium examen vide ri laboris molestiaeque plenum; quæ enim in philosophia, e perangusta ea significatione, qua nunc hæc vocula usurpatur, disputantur, acumen potius et subtilitatem, quam patientiam laboremque postulare videntur. Quum enim e solis notionibus omnis disputatio ducatur et apta sit, ac tota rei exploratio meditatione quieta absolui posse videatur: attentio magis et subtilitas ad iudicandum afferenda videtur, quam constantia hæc et rerum arduarum diuturna perseverio. Sed his quoque in rebus multa sunt, quibus facile defatigeris. Etenim, vt recte iudices, recte debes intelligere; novus sermo iterum iterumque descendens est; diligent explicationum, ar-

gumentationum; oppositorum, aliarumque rerum permultarum comparatione auctoris mens et sententia inuestiganda est; quod quam arduum sit quamue molestum neminem præterire potest eorum, qui quanta sæpe sit eiusmodi sermonis barbaries intellexerunt. Sunt hoc in genere regiones ad fructum vberimæ et ad delectationem amoenissimæ; sed qui in his solis decurrat, non omni ex parte do. Eti nomen meretur. Quum enim philosophiæ studia ad omnes eruditos pertineant: non docte agit, qui partem quandam vel genus quoddam sine exploratione contemnit. Quemadmodum autem rerum philosophicarum diligens excusso propter intelligendi difficultatem et sermonis insolentiam molesta est, et patientiam postulat; sic omnia fere, quæ historice docentur examen habent sæpe multo magis molestum. Euoluenda multorum auctorum loca; versanda librorum multitudo, conquirendi interdum non sine multo labore impensisque grauioribus ipsi libri, quibus vti in caussa tua debes. Quis negabit, parum iucunda hæc esse? Incidimus hoc in studio etiam in libros pessime et ineptissime scriptos; sed si via quæstionis nostræ in eos nos ducat, ii esse debemus, qui perlegendi onus suscipiamus, attenteque sustineamus. Executienda vis probandi loci cuiusdam, quod sæpe fieri non potest, nisi totum quoddam opusculum perlegeris, et scopum et indolem auctoris et totius libri contextum exploraueris; quod negotium moram incredibilem et sæpe molestiam habet, eam tamen et moram et molestiam, sine qua ad veram doctrinam perveniri non potest. Non hoc dixi, doctum hominem vnice in molestis versari et arduis negotiis; pessime actum esset cum eo, nisi ea quoque inciderent, quæ mentem recreent ac iucunda vbertate compleant: hoc volui, eum, qui doctus euadere velit, ea præditum esse constantia oportere, vt sine offensa grauiori & hæsitatione in stadio suo decurrat, iucunda accipiat, molesta haud reformidet, sed pectori confirmato ad eum scopum contendat, vt et propter rerum scientiam, et iudicij subtilitatem atque acumen ipse iudicare, aliorumque hominum auctoritate carere

rere possit. Ad hanc autem virtutem et strenuam alacritatem mature iuuenes ducendi sunt; tollenda e medio nausea ista, quæ, quidquid aut laboris plenum aut delectatione vacuum est, detrectat; quæ sicca et difficilia accusat, iisque cedit. Tollenda ista mollities, quæ tantum rebus trahitur cum iucunditate quadam ad sensus affluentibus; sed tergiuersatur et cedit, et refugit simulac in ea inciderit, quæ mentis maiorem quandam intentionem postulant. In scholis ea tollenda est, quoad eius fieri potest; molles enim eiusmodi homines in academias translati non res a præceptore tractatas sequuntur, sed orationis lepores et ornamenta captant; ad utilissimos doctores subtilissimosque haud accedunt, quia vocis quidam somus molestus iis est, aut genus dicendi omnino haud arridet. Veneres sequuntur et verborum et seminarum, grauem vero istam et veram eruditio nem omittunt; nec habent, quod huic infirmitati suæ medeatur; tanta potius librorum ad deliniendum corrumpendumque animum comparatorum copia multo magis eos infirmat, et a seriis auocat.

Denique in scholis hanc virtutem accipere iuuenis debet, ut præceptore vel non adiuuante, certe non urgente, in literis studiose versetur; vt ipse designet aliiquid et moliatur et agat, quod nec propositum est a præceptore, nec exigitur. Hæc autem virtus vel propterea est maxime necessaria, quod sine ea academica sua libertate recte vti non poterit. Iuuenis, qui nihil agit, quam quod iussus est facere, qui suo Marte, sine auxilio ac impulso alias, nil molitur, qua tandem spe in academiam mittetur? Transit nempe eum in locum, vbi ipse impellere se et ad studia excitare debet, vbi dormire potest et in conuiuis et compotationibus versari et in ambulacris et gynæceis, vbi rationem reddere studiorum non cogitur, nisi sero. Sed nolui multus esse in hoc loco tractando; etenim a multis aliis tractatus est, et quæ haftenus de amore literarum et scientiarum disputauit, ea fere omnia hic conferri possent.

Ac de affectione mentis iuuenum ad altiora studia adspirantium  
hæc quidem sufficient. His autem virtutibus magis ista maturitas, quam  
disputo, iudicari debet, quam ipsa scientia comparata. Qui enim tantum  
discere vult, quantum potest; qui ad claram et definitam scientiam tendit;  
qui modestia in iudicando et patientia industriaque in laborando præditus est;  
is profecto et multa didicit, et quidquid sibi deesse senserit, facile sup-  
plebit.

Præfatus hæc sum ad indicadam orationem *de felici-*  
*ori apud nos eruditorum conditione ipsa literarum studia infrin-*  
*gente; rogaui igitur obseruantissime, ut Senatus nostræ ciuita-*  
*tis amplissimus, Sacrorum ministri plurimum reverendi, College*  
*clarissimi, omnesque literarum fautores, quibus tantum est*  
*otii, orationem habendam et per illustris Viri memoriam Sua præ-*  
*sentia velint decorare.*

P. P. Dom. Oculi MDCCCII.



Gf 4264.8

ULB Halle

002 160 943


3



sb

4018

n. C.



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue																				
Cyan																				
Green																				
Yellow																				
Red																				
Magenta																				
White																				
Black																				

ORIAM  
ENNIANAM

XXIII MARTII

NTEMERIDIANA

LENDAM

I X I T,

R Q U E

ET AUDITORES

ANTISSIME

T A U I T

Guilielm. Rudolph.

rt. XI.

ad v. a. mat.

is patientia.

OOOO

CRIS FRANKIANIS.

Indumenta et ceterum annua

35  
16